

ipse promisit *Apoc. II. 8. Esto fidelis usque ad mortem, nim. in*  
*fiduciali resurrectionis meae memoria, & dabo tibi coronam vi-*  
*tae* : Paulus etiam sibi de tali certamine *coronam justitiae* polli-  
 cetur in hac *II. Tim. IV. 7. Bonum certamen certavi, cursum con-*  
*summavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiae,*  
*quam reddet mihi Dominus (Jesus) in illa die, justus iudex,*  
*quae dicitur immarcescibilis gloriae corona I. Petr. V. 4. tum quia*  
 Dominus Jesus dat non in aliis omnibus modo, sed etiam in  
*Mnemosophia Paschali, vel mysteriis Resurrectionis intellectum,*  
 sicut patet ex *historia Paschali*, secundum quam dedit *intelle-*  
*ctum* in *mysteriis Paschalibus*, partim personis singulis & solitariis,  
 (a) *Mariae Magdalene Joh. XX. 15.* illa siquidem, cum Dominus  
 Jesus allocutus eam esset, *Mulier, quid ploras?* arbitratur, se  
*hortulanum* videre, vel audire, quia de causa dicebat ipsi : *Domine,*  
*si tu sustulisti Dominum meum, dicito mihi, ubi posuisti eum, &*  
*Ego Eum tollam* : sed Jesus mox unico verbo potenter & *men-*  
*tem, & oculos* aperiebat, eiq; paschalem, *intellectum* dando, di-  
 cebat, *Maria* : hoc unico verbo, ceu face lucidissima, fuit iliu-  
 minata, statim visu resuscitati Jesu personam agnovit, audita  
 vocem ejus cognovit, & ipsum in cor suum vera fide recepit.  
 (2) *Petro*, cui simile quid contigit: licet n. hic Dominum antea  
 trina vice prorsus abnegasset, de resurrectione Domini dubitas-  
 set, & mulierum nuncium pro fabula cum reliquis discipulis re-  
 putasset, nec ex ingressu & conspectu vacui sepulchri *Joh. XX. 6.*  
 fidem impetrasset, quia v. 9. subjungitur : *Nondum enim scie-*  
*bant scripturam, quia oportuit eum a mortuis resurgere* : tamen  
 quamprimum vidit in apparitione Dominum *Luc. XXIV. 34.*  
 ex sola redivivi Salvatoris apparitione datus eidem *intellectus,*  
 data *fides*, data *fidei propaganda energia*, ut aliis etiam fidem &  
 memoriam paschalem communicare potuerit, sicut reliqui di-  
 scipuli post reditum *Emaunticis* viatoribus ore communi te-  
 stantur *Luc. XXIV. 13. Vere surrexit Dominus, & apparuit Si-*  
*moni.* (3) *Thomae Joh. XX. 24. seqq.* nam hic satis incredulus, &  
 duræ cervicis, & obstinatae contradictionis fuerat prius, quam  
 Dominus Jesus *intellectum* eidem daret : licet enim omnes di-  
 scipuli